

Christian Gottfried Gruner


**Ordinis Medici in Universitate Literarum Ienensi H.T. Decanus D. Christ.
Gothofridus Gruner Sollemnia Inauguralia ... Candidati Christ. Ludovici Henrici
Burchard Rostochiensis A. D. XXIX. Augusti MDCCXCVII. Indicit.**

Ienae: Fiedler, 1797


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746347316>


Druck Freier  Zugang





Pl. 241. (1.)





ORDINIS MEDICI

22

IN

VNIVERSITATE LITERARVM IENENSI

H T.

DECANVS

D. CHRIST. GOTHOFRIDVS
GRVNER

SOLLEMNIA INAUGVRALIA

PPAENOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI MEDICINAE
VTRIVSQUE CANDIDATI

CHRIST. LVDOVICI HENRICI
BVRCHARD

ROSTOCHIENSIS

A. D. XXIX. AVGVSTI MDCCXCVII.

INDICIT.

Praemittuntur quaedam

De

Observationum medicarum studio rite dirigendo.

IENAE

LITERIS FIEDLERIANIS.

OPUSCULES

UNIVERSITY OF ROSTOCK

DECEMBER

D. CHRISTOPH GÖTTSCHEWITZ

GRATIA

SCIENTIAE

PHILOSOPHIAE

ARTIS

CHRIST. F. DOVIGI

BY RICHARD

REPRODUCTION

A. D. 1811

PRINTED

Printed in Rostock

10

Opuscula mathematica physica et philosophica

LEIPZIG

VERLAG VON LEIPZIG

Incredibili animorum feruore ac contentione inter empiricos et rationales medicos *) olim disputatum est, an et quatenus necessaria sit euentium, abditarum et morbos continentium caussarum, partium interiorum et actionum corporis notitia. Illi hanc quidem esse superuacuam contendebant, hi vero morbos sine hac nullo modo rite diiudicari atque sanari posse statuebant, eumque demum recte curaturum, quem prima caussae origo non fefellerit. Rationem ergo et vsum inter se coniungi oportere professi sunt, negarunt empirici, quia initia scientiae non ab quaestionibus, sed ab experimentis deducta sit, et post inuentam medicinam i. e. vsum probatam, demum ratio quaesita. At vero hodie, cum omnis artis medicinalis praesentia ad solam experientiam referatur, rationi parum aut nihil deferatur, plurimorum est eadem opinio. Hinc fere negligunt solidiorem scientiam, cursu et equitatione practica contenti, morborum nomina et formulas sectantur, cetera, quae ad rationalem medicinam attinent, professoribus artis committenda esse existimant. Habet quaeque secta sua argumenta, quibus se munit, naturae vero veritatisque magna vis in approbatione ac reprobatione est. Laudamus obseruationum studium, quippe sic nata et perfecta omnis medicina est, sed iure nostro id etiam requiremus, vt, qui bene recteque morbos obseruare velit, prius perspectum atque cognitum habeat, quae cuiusque notae indubiae et certae sint, quae origo, qui euentus vel sperandus, vel pertimescendus, quae remedia apta, nec ne, quae corporis actiones laesae cet. In his cernuntur verae scientiae initia, neque satis est nosse morborum nomina et medicamenta salubria, quae a medicis scripta sunt, sed

A 2

*) Cels. De Medicin. Praef. Lib. I. p. 4. seq.

de eo cum maxime quaeritur, quomodo haec inter se cohaereant, et alterum ex altero fluat. Datur ergo naturale utriusque vinculum, experientiae et rationis, eumque demum bonum ac rationalem observatorem futurum censeo, qui, quare hoc sit, quod clinicus notarat, recte explicare possit. Quod si cui deest, videtur eo loco habendus, quo mercenarii, qui iussa domini faciunt, de causa facti omnino incurii.

Neque vero sufficit nomen observatoris affectare, etiam hoc desideratur, ut, quae eius dotes sint, quae officia, quae studia, animo anticipet. Non est observator dicendus, quem aut innumera aegrorum cohors obsidet fores pulsantium vel atria implentium, aut discipulorum comitatus cingit more praesidiariorum militum, aut populus inexpertus Aesculapio similem praedicat, (haec enim malis artibus facile comparari possunt) sed is mihi hoc nomine dignus videtur, cui hoc in negotio perarduo ratio praest, experientia famula quasque ministra est. Illa praebet scitu digna et arti commoda, quin certam rerum medicarum cognitionem facit, haec vero firmum reddit exercitium. Hoc quidem connubio id consequetur, ut quam minime fallat vel fallatur, simillimus HIPPOCRATI, iudice MACROBIO (In Somn. Scip. 1. 6.) neque de aegrorum sanatione gloriatur, quos natura, virium constantia vel casus fortuitus restituerat.

Innumerabilis observatorum (praescine dixerim) est numerus, sed vereor, ne ad eos idem diciturum pertineat, quod Hippocraticus auctor, (De Lege §. 1. p. 41. T. I. ed. Lind.) multis ante seculis scripserat, medici sunt nomine multi, re ipsa perpauca. Persuasit sibi quisque, Tros Rutilusque fuit, se posse aegros curare, modo nomina morborum formulasque medicamentorum nouerit, vel aegrorum lectulis adstare potuerit. Clinicus mehercule talis est, observator minime. Hic enim, etsi cetera non negligit, tamen, natura duce, experientia magistra, ratione in arte agitanda adiutrice, solus videt, quantum morbus nomine idem distet respectu causae, unde in singulis aegris

gris profectus erat, quantum intersit scire corporum di-
 uersitatem, aeris annique constitutionem, communem pro-
 priamque hominum vim rel. quantum valeat egregia iudi-
 cii vis, ne fallaris rerum specie ac simulacris, vel nouis
 nouaturientium auctorum inuentis scilicet. Hic nullius
 ab auctoritate pendet, nemini se mancipat, nemini ita
 addictus est, vt eius ab verbis paullulum deflectere nefas
 putet. Aliorum medicorum laudes agnoscit atque exaequo
 aestimat, sed ita, vt et sibi aliquid det, et suo ipsius iudi-
 cio vtatur, et, quid olim, quid nuper scriptum sit, cum
 dilectu et ingenio accipiat. Erit ergo eo maior et praestanti-
 or naturae obseruator, quo magis abstinerit ab aliorum au-
 ctoritate celebritateque nominis. Poterit HIPPOCRATEM na-
 turae contemplatorem sequi, quatenus in epidemicis, quid
 factu opus sit, recte prodidit, et ipsis posteris pro exemplo
 fuit, quomodo morbi recte obseruari, visa litteris consignari
 debeant. Poterit GALENUM, quem hodie solent multi cul-
 pare, etiam si hospites in aliena vrbe sint, reuereri, vt sy-
 stematicum, cui nec vsus, nec ratio, nec doctrina varia
 deest, eiusque exemplo vti in digerendis ordinandisque
 obseruationibus. Poterit denique BRUNONI assentire, si
 quid rectius nouit ac dixit, poterit damnare, quae nimis
 vage vel indiferece scripsit, poterit eius ab auctoritate sic
 recedere, vt eius systema nec nouum et inauditum prius,
 nec indistincte verum, in multis paradoxum esse lubenter
 profiteatur. Et nihilofecius bonus obseruator erit,
 etiam si non iurauerit in BRUNONIS verba, vel visa more
 BRUNONIS explicauerit. Natura non alligata est Brunoni-
 anae disciplinae vinculis, ergo ridicula est arrogatio in sola
 BRUNONIS schola veritatem quaerere, quae speciosa facilitate
 medicos incautos fallit, certos et omni errore superiores
 non facit.

Plura dantur obseruationum volumina, quia non de-
 sunt fabri et auidi emtores, sed vbi de vero pretio quaeri-
 tur, plurimae, inconsulta natura, scriptae sunt, ergo nul-
 lius fidei, nullius vsus. Oedipo saepe opus est, si, quid
 velit auctor, scire cupias. Si naturam et propriam expe-

rientiam consulas, omnino falsus est. Cui ergo scripta est obseruationum cohors? Vtinam medici et artis periti rectius obseruare plures aegros velint ante, quam calamo committant, et tunc demum paucissimas operis describendas credere! Vtinam exurgat aliquis, qui scribat obseruationum indicem absolutissimum!

Sed sistamus gradum. Indicenda est ex instituto maiorum panegyris Praenobilissimi atque Doctissimi Candidati, qua summos in medicina vtraque honores capeffere studet. Cuius vitae ratio quae qualisque fuerit, hisce verbis concepit.

EGO, CHRISTOPHORUS LUDOVICUS HENRICUS BURCHARD, natus sum Rostochii anno millesimo septingentesimo sexagesimo nono die septembris vicesimo sexto. Pater optimus atque post fata carissimus fuit IOANN. GOTTLIEB BURCHARD, vtriusque iuris Doctor, mater dilectissima, MARIA ELISABETH, ex gente EYLERIANA per Dei gratiam mihi nouoque marito superstes. Qui optimi parentes summam in eo posuerunt curam, ut sedulo educarer et omnia ediscerem, quibus animum rite excolere possem. Septimo vitae anno scholam civilem Rostochiensem frequentare coepi, in qua b. HASSE omni studio me erudire rogatus erat; praeterea a candidatis HANE et STADEMANN, nunc concionatoribus, erudiendus datus sum. Decimum vitae annum agentem me in pagum Liifforium conduxit mater, ut ibi Praeceptore venerando, Pastore ENOCH CHRISTOPH. SIMONIS — molliter ossa cubent!! — in lingua latina et gallica, in historia universali et in orthographia amplius proficerem. Filius eius maximus natus, nunc Pastor ad aedes Recknitzenses, quem summo cum amore complector, linguam anglicam, graecam ebraicamque me docuit. Tribus annis peractis, Wismariam me contuli, ut doctissimi tunc candidati, nunc Pastoris KOCH, institutione vterer in lingua latina, gallica, anglica et graeca, nec non mathesti atque historia.

Post duodeviginti menses, vix me reduee facto Rostochium, pater, cuius diligentiae atque amoris erga me usque ad cineres grato pioque animo semper memor ero, diem obiit supremum. Post obitum eius iussu et prudenti consilio consiliarii aulici MANZEL, viri consul-

tissimi,

tissimi, per cognationem tutoris dativi, Gymnasium, quod Sundis floret, frequentavi. Tanta de me sunt merita et beneficia huius viri, ut eius benevolentiam et erga me amorem gratissima mente concipiam, verbis exprimere non valeam. Rectori Gymnasii, GROS-KVRD, non modo praeceptori, sed vero educatori nec non A. FURCHAU Gymnasii Conrectori, Viro summae eruditionis atque probitatis, publicas ago habeoque gratias.

Anno millesimo septingentesimo octogesimo octavo Gymnasio valedixi, et mense maii ad altiora studia tendens Ienam me contuli, ut in theologiam incumberem, ibique ab illustr. LODERO fufces academiae tunc temporis gerente, in numerum civium academicorum receptus sum. Illustr. EICHHORN in exegeticis graecis, in historia universali et historia litterarum mihi fuit praeceptor, in Logicis, Metaphysicis, Anthropologia philosophica, Iure naturae et Philosophia morali universali Illustr. ULRICH. S. V. GRIESBACH historiae ecclesiasticae et evangelistarum interpretem doctissimum habui, b. DOEDERLEIN praelectiones dogmaticas, pastorales, morales et exegeticas ebraicas maxima cum voluptate audiavi, et illo duce, in seminario multas conciones sacras habui. S. V. SCHMIDT in dogmaticis, catecheticis et homileticis praeceptorem habui, et inspectore illo, etiam pro concione dixi. Praeterea b. WIEDEBURG usque ad obitum suum in mathematicis erudit. Omnibus his viris pro doctissimis illorum studiis atque doctrinis gratissimum me profiteor.


Tribus annis et amplius praeterlapsis, ad patrios lares redii, reverentem Superintendens summe reverendus, PIPER, me in numerum Candidatorum S. S. Ministerii adscripsit. Pro vitrico meo ac pro aliis multum de rebus sacris declamaui.


Sed ad sacra non satis propensus, quamquam mihi arridebat fortuna, singulari artis salutaris amore captus, iterum patriam reliqui, iterum Ienam me contuli anno millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, ut Aesculapio nomen darem. Ill. LODERVM Anatomiam, Chirurgiam, Osteologiam et Physiologiam tradentem audiavi, et nosocomium obstetricium eius curae commissum, ubi parturientibus operantuli, adii. Ill. STARK, praeceptor de me valde meritis, docuit me artem obstetriciam et therapiam specialem, eoque duce, in Instituto Clinico a Serenissimo principe ei demandato multos aegros inuisi atque


que curavi. In Semiotica, Pathologia, Therapia generali et speciali Ill. HUFELAND me omni doctrina et solertia erudit. Excellentiss. STARKE in materia medica et arte formulas conscribendi me erudit. In Chemia et Pharmacia experimentalis Excell. GOTTLINGII scholas frequentavi, Excell. BATSCH in Botanicis, Excell. VOIGT in Physica mihi fuerunt praeceptores. Plures excursiones botanicas cum Experientiss. SCHENKIO feci. Quibus Praeceptoribus omnibus magnas ago gratias, maiores habeo.


Nuper ad examen utrumque admissus Praenobil. Candidatus, eam quidem dexteritatem doctrinamque inter colloquendum ostendit, ut primam in medicina lauream vnaque licentiam reportaret suam dissertationem inauguralem, quancumque libuerit, publice defendendi. Faciet hoc a. d. xxix. Augusti, ni spes nostra fallit, cum audientium approbatione. Cui actui ut interesse velitis, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, S. R. I. COMITES ILLUSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI, PROFESSORES EXCELLENTISSIMI, DOCTORES EXPERIENTISSIMI, ut adesse disputanti amico cupiatis, COMMILITONES GENEROSISSIMI ac PRAENOBILISSIMI, id est, quod Ordinis mei verbis perobseruanter ac perhumaniter oro atque obtestor. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. xxiv. Augusti c1o1occlxxxvii.














the scale towards document

erat, quantum interfit scire corporum di-
eris annique constitutionem, communem pro-
minum vim rel. quantum valeat egregia iu-
fallaris rerum specie ac simulacris, vel nouis
um auctorum inuentis scilicet. Hic nullius
e pendet, nemini se mancipat, nemini ita
vt eius ab verbis paullulum deflectere nefas
am medicorum laudes agnoscit atque exaequo
ita, vt et sibi aliquid det, et suo ipsius iudi-
t, quid olim, quid nuper scriptum sit, cum
enio accipiat. Erit ergo eo maior et praestanti-
seruator, quo magis abstinerit ab aliorum au-
oritateque nominis. Poterit HIPPOCRATEM na-
platorem sequi, quatenus in epidemicis, quid
, recte prodidit, et ipsis posteris pro exemplo
o morbirecte obseruari, visa litteris consignari
terit GALENUM, quem hodie solent multi cul-
hospites in aliena vrbe sint, reuereri, vt sy-
cui nec vsus, nec ratio, nec doctrina varia
ae exemplo vti in digerendis ordinandisque
ous Poterit denique BRUNONI assentire, si
nouit ac dixit, poterit damnare, quae nimis
ferete scripsit, poterit eius ab auctoritate sic
eius systema nec nouum et inauditum prius,
e verum, in multis paradoxum esse lubenter
Et nihilofecius bonus obseruator erit,
urauerit in BRUNONIS verba, vel visa more
olicauerit. Natura non alligata est Brunoni-
ae vinculis, ergo ridicula est arrogatio in sola
ola veritatem quaerere, quae speciosa facilitate
utos fallit, certos et omni errore superiores
ntur obseruationum volumina, quia non de-
uidi emtores, sed vbi de vero pretio quaeri-
e, inconsulta natura, scriptae sunt, ergo nul-
lius vsus. Oedipo saepe opus est, si, quid
scire cupias. Si naturam et propriam experi-
rien-